

1421

P O L E M I C I.

1422

liano I. fuisse puto. Hujus, uti et *Ferdinandi* I. Medicum ita egit, ut in Consilium adlectus et a. 1530. a *Carolo* V. Baro renunciatus, aq̄ue *Ferdinando* Dynastia *Sprinzensteinensi* in *Austria* sup. donatus fuerit. Adjacent mihi *Epicedia in Urs. Veli* mortem impressa 1539. *Viennae* 4. quibus editor *Ad. Carolus* Caes. Secretarius sua manu adscripsit: *Magnifico et Generoso Viro Domino Paulo Ritio Baroni a Sprinzenstain, Regio Consiliario et Protophysico dignissimo.* Itaque illustris hodie Comitum *Sprinzensteiniorum* Familia docto huic Viro originem debet non per *Hieronymum*, qui Praepositus *Tridentinus* fuit, sed per *Franciscum* filium. Ut pluribus in meo ad *Hist. Typogr. Vindob. Supplemento* vernaculo.

CCCLXXI.

³⁶¹ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 30. f. inscriptus est: *Qualia a quibus Senatorum Ordinibus sint iudicanda.* Primo intuitu aegre quis coniectet, haberi hic *Summaria* priorum X. Capitum *Traſtatus de Synedriis* (מסכת סנהדרין) ex Ordine *Mischnico de Damnis* (סדר נזיקין) latine a nescio quo reddita, quorum initium: *Eorum quae in iudicium veniunt quaedam a tribus definiuntur iudicibus, ut ea quae bona concernunt mamonis* (ממונות) *a nobis dicta externa* &c. Adjecta sunt in fine: *De Talmudistica Gloſa notatione digna, five*

Sententiae et Fabulae quaedam e *Gemara* depromptae, quae sine truncatae videntur.

CCCLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 544 XV. Folior. 63. 4. fat nitide exaratus hunc Titulum praefert: *Incipit libellus contra precipuos errores grecorum editus a fratre Bartholomeo constantinopolitano ordinis fratrum predicatorum ad instanciam fratrum inter grecos commorantium.* Prooemii initium: *Licet grecorum ecclesiam virtutum floribus et phylosophie studijs olim decoratam nouerimus, ita quod ipsa sanctorum presidencium (praecedentium?) patrum apostolorum videlicet et prophetarum veloci cursu calcans vestigia, quam plures ex se viuos et ignitos lapides ad edificium superne iberusalem dudum transmiserit construendum. nunc tamen hoc est in fine temporum quod sine graui merore proferre non possumus, diuersis et quasi innumeris errorum obfuscata turbinibus in eadem suarum opinionum caligine diuisa a sacrosancta romana ecclesia et ceca perseuerat, et quamuis infinita heresum grauamina (Germina?) a 370 annis hoc est a tempore fosij seu fotini primi huius scismatis inventoris in diuersis suis partibus tam propter defectum scientie quam propter odij et inuidie amaritiam pullulauerunt, precipue tamen in 4^{or} articulis generaliter seu communiter dinoscitur deuiare a nobis &c.* Articuli hi sunt de Processione Spiritus